



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Turbo puerilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

De qua ita nos:

*Una manus cubitum ostentat, gerit altera frenum:  
Illa, modum serva hac admonet, os cobibe.*

DE TURBINE PUERILI. CAP. XXI.

**H**abenarum mentio turbinem in memoriam attraxit, quia turbinis concitatio ab habena est. De hoc autem Græci Latiniq; potius quam Ægyptii, quantum investigare potui, meminerunt. Quoniam vero clari admodum viri similitudinem à rhombo, qui turben est, delumpferè, quid in eo lateat hieroglyphicum, exponere visum est operæ pretium.

VEHEMENS MENTIS AGITATIO.

CAP. XXII.

**E**t autem rhombus, ut hinc exordiamur, lignum buxum, vel ex solidiore aliqua arbore <sup>Rhombus qui d. Galli, une pi robe, une trompe.</sup> torna-  
tum, plana lataque primum basi, cono sensim in angustum abeunte cujus apex clavo armatur  
**B** ferro. Utisejus in puerilibus ludis cum antiquissimus fuerit, Florentini, apud quos plurimum  
exercetur, eum vulgo *Palaon* appellant, vocabulo ipso vetustatem indicante. Implicatur is à cuspide  
prælongo loro, atque ita ludo puerili, quanta vi fieri potest excussus, basi superne cuspide inferne  
versâ solo alliditur: dum vero ab intorto se loro explicat, in raptissimam concitatur vertiginem,  
atque ita volubiliter rotatus, spatiis ampliter curvatis hac illac fertur: pueri superstantes flagello  
illum exagitant, acrique intorta plaga impetam vehementiorem adjiunt: Turben hic à Tibullo,  
à Marone autem turbo, ut Solipater Charisius observavit, dicitur. Ob eam igitur concitatissimam  
vertiginem agitationemque, Poëta mentis volubilitatem, quæ nullo possit loco consistere, ratio-  
neve separari, quod plurimum in furore accidit, expressere. Atque ita Tibullus amatorio furore  
exagitatus, de se dicit:

*Namq; agor ut per plana citus solet verberè turbo,  
Quem celer assuetæ versat ab arte puer.*

Ludum hunc Maro dilucidius pinxit, ubi correptam furis Amatam Reginam nusquam consistere <sup>En. lib. 7.</sup>  
**C** possitata lacerenter ostendit, ut versus hi, vel decies repetiti, nullius umquam tædio recitentur:

*Cen quondam torto volitans sub verberè turbo,  
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum  
Intenti ludo exercent: ille aëus habena  
Curvatis fertur spatiis: super inscia turba  
Impubesq; manus mirata volubile buxum  
Dant animos plaga. Non cursu segnior illo  
Per medias urbes agitur, populosq; feroces.*

Quoniam vero inter furoris species quinque à Platone memoratas, amatorius locum obtinet,  
rhombum Magi alliciendis amatoribus aptum veneficiis adhibuere: de quo apud Theocritum,  
Pharmaceutria.

DE COLU ET FUSO. CAP. XXIII.

**N**eque quidem in mystico hoc scribendi genere contemnendæ sunt colus & fusus, cum ex iis an-  
tiquissima quædam referantur significata.

FATUM. CAP. XXIV.

**P**er colum autem & fusum significari fatum, longe manifestius est, quam ulla debeat commenta-  
tione ulterius explicari: plena siquidem sunt Poëtarum volumina, fatum ipsum per flumina, per  
fusum, per colum, per fila ubique significantium. Tres vero Parcas illas hujus negotii arbitras, qua <sup>Plato lib. 11 de Republ. Parcarum pittura.</sup>  
de causa vetustas finxerit, Platonem latissimè interpretatum a libi diximus. Tres autem illas esse,  
quarum una colum sustineat altera neat, tertia adactis in fila forficibus modo hæc, modo illa oc-  
cet: ita rebus quotquot in mundo sunt, ortum, auctum, interitum esse proprium, ignorare nemi-  
nem